

38

I. N. S.
DISSERTATIO ACADEMICA,
DE
DOCUMENTIS
ADMIRANDÆ PROVIDENTIÆ
DIVINÆ
IN
DISPERSIONE JUDÆORUM
OBVIIS,

QUAM,
VENIA AMPL. FAC. PHIL. IN REG. AD AURAM ATHENÆO,
PRÆSIDE

MAG. LAURENTIO O. LEFREN,
Lingu. Orient. & Gr. Prof. Reg. & Ord.

PRO LAUREA,

Placidæ Philosophantium Disquisitioni submittit
JOACHIMUS JOHANNES JOHNSON,
Verbi Divini Minister, Satacunda-Fenno,

In AUDITORIO MAJORI tempore ante meridiem solito
Die XV. Junii MDCCLXXXII.

ABOÆ

Impressa atud Viduam Reg. Acad. Typogr. J. C. Frenckell.

VIRO
NOBILISSIMO ATQUE AMPLISSIMO,
D: NO PETRO ROSBECK,

*Ad Classsem Regiam MAJORI maxime inclyto, nec non Equite de
Reg. Ordine Ensjferorum,*

PATRONO OPTIMO.

*Fuerunt tempora, quibus non minima laus Rei Militaris in
manibus quærebat, unde qui in ea excellere manu
strenui, fortesque adpellebantur. Hoc tempore aliam plane fa-
ciem induit Res bellica. Qui enim nunc ad famam rerum
preclare gestarum grassari volunt, ii necesse habent ad ani-
mi corporisque vires, quæ antiquis virtutis adpellationem
pepererunt, singularem adjicere dexteritatem ingenii, variis
scientiis, disciplinisque auctam, excultam, perpolitam. Tuae
Laudes, Vir Nobilissime, hæc omnia complectuntur encomia.
Quemadmodum viribus corporis paucos adgnosces æquales, ita
animi robore & eruditionis splendore tantum inter cete-
ros emines, quantum lenta solent inter viburna cupressi.
Nec hoc auribus Tuis datum volo. Idem enim sentiunt om-
nes, qui Te norunt & eruditionis pretium intelligunt. Pa-
tiaris igitur, Vir Nobilissime, ut has qualescunque pagellas
Nobilissimo Tuo Nomini inscribam, quo simul occasionem ha-
beam, publice testandi adfectum animi gratissimi, quem plu-
rima Tuae in me benevolentiae ac beneficentiae documenta ex-
citarunt, dum vixero, nunquam cessaturum. Cum adprecatio-
ne omnigenæ felicitatis ad ultimum vitæ halitum permansurus*

NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIMI NOMINIS TUI

Cultor humillimus

JOACHIMUS JOH. JOHNSON.



§. I.

Quam absurda sint deliria Deistarum, qui Deum machinae hujus mundanae otiosum faciunt spectatorem, abnegata penitus providentia, qua res omnes dirigit & gubernat, nunquam neque clarius, neque certius intelligere possumus, quam cum *Historiam Gentis Judaicae* adtente legimus. Hæc enim ubique locorum tot exhibet *admirandæ Dei Providentiæ documenta*, ut vix homines videri debeamus, si ea cernere nequeamus. Sive fecundas, sive adversas gentis res lustraveris, haud aliter tibi videberis adfectus, ac si tersissimum providentiæ divinæ speculum tibi ob oculos positum haberes. Quid? Quod *quilibet Judæus*, qui tibi in platea occurrerit, *veracitatis Dei luculentissimum exhibeat testimonium, quo complementum Prophetiarum ad oculum demonstretur*. Si hoc exhaurire vellemus argumentum, non brevissima Dissertatio Academica, sed liber plurium voluminum consignandus esset. Quare ex vasto hoc pelago unas atterasve guttulas, exempli gratia, hausisse sufficiat, ad ea *admirandæ Dei providentiæ documenta*, quæ dispersio Judæorum in omnes orbis partes & in singula fere regna exhibet, animum advertentibus. Et quamvis ne hanc quidem argumenti partem plenius elaborare, per virium imbecillitatem & temporis brevitatem, li-

ceat; speramus tamen, benivolum Lectorem vel hoc tenuissimum specimen æqui bonique consulturum. Quod ut nobis gratulari possimus, etiam atque etiam rogamus, ad propositum sine ulteriori præfamine properantes.

§. II.

In multa & varia *Asia, Africa & Europæ* regna, rura & oppida olim dispersos fuisse Judæos, res est testatissima. Ne hoc gratis dixisse videamur, tres audiemus testes. Agmen horum docet LUCAS, vir θεόπνευτος, cuius omni exceptione majus testimonium Act. II: 9. 10. 11. legitur, ubi facultatem peregrinis loquendi linguis, quam Spiritus Sanctus primo Pentecostes festo Apostolis tribuerat, describens, testes miraculi citat *Judæos ex omnibus orbis partibus Hierosolymis, religionis causa, congregatos*, utpotes ex *ASIA Parthos, Medos, Elamitas*, eosque qui præter *Judaeam, Cappadociam, Pontum, Natoliam, Phrygiam, Pamphiliam & Arabiam* incolebant: *EX AFRICA Ægypti & Libææ Cyrenaicæ* incolas; *EX EUROPA* denique *Romanos* atque *Cretenses*. Alter testis erit PHILLO JUDÆUS, qui ubi insignem populi Judaici multitudinem describit, his utitur verbis: ἐν ἐξεδέξατο, (ἐδν θεοῦ ἰσθάσιω) καθάπερ τῶν ἄλλων ἕκαστο μίᾳ χώρᾳ τῆς ἀποικηθεῶν μετῆς αὐτῶ ὡσὼ περιβολῶ, ἀλλ' ὀλίγῃς δεσ Φαναί, πᾶσα ἡ οἰκουμένη κεχυται γὰρ ἀνά τε τὰς ἐπέρες κῆλ νήσῃς ἀσιάσῃς, ὅς τῶν αὐθρειῶν μὴ πολλῶ τινι δοκεῖν ἐλαττωσθαι. *Non ut alia nationes (Judaica) unius comprehenditur spatium regionis, sed totum*



totum fere orbem passim incolens &c. DE LEGATIONE ad CAJUM p. 1022. edit. Francofurt. His paria habet tertius testis FLAVIUS JOSEPHUS, qui ex Agrippæ oratione ad *Judæos* hæc adducit verba: *ὅτι ἐστὶν ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὄνησις, ὃ μὴ οὐρανὸν οὐρανῶν ἔχων, non est in toto orbe terrarum populus, quin vestri portionem habeat.* DE BELLO JUDAICO Libr. II. C. XVI. p. 191. Edit. Havercampii. Longum foret si nominatim enuineremus omnes urbes, in quibus *coloniæ* floruerunt *Judaicæ*. Qui eas scire volent, evolvere poterunt ERH. ANDR. FROMMANNI *Opusculorum Philol. & Hist. argumenti* Tom. II. p. 474. sqq.

§. III.

Proximum jam est, ut paucis exponamus de *CAUSSIS*, cur tot *coloniæ Judaicæ* extra *Judæam* olim inventæ fuerint. A SALMANASSARO in *Assyriam* *Israëlitæ* & a NABUCHODONAZORO in *Babyloniam* *Judæos* deportatos esse, ex SACRIS LITTERIS edocemur. Et quamvis hi exules a CYRO rerum potito facultatem veteres sedes repetendi, inque terram Sanctam redeundi impetrassent, tantum tamen abest, ut hac libertate uterentur omnes, ut potius quamplurimi, qui in exteris illis terris possessiones adquisiverant locupletiores, remanere mallent, quam incertam revertendi fortunam experiri. Quod ad *Judæos* adtinet *Ægyptios*, maxima eorum pars a PTOLOMÆO LAGI per vim eo deducti sunt, teste JOSEPHO *Antiqu. Jud. Libr. XII. C. 1.* quibus si accensueris tum eos, qui

antea, metu *Babyloniorum*, in *Aegyptum* concesserant. II. Reg. XXV: 26. Jer. XLIII: 5. 6. 7. tum qui postea illuc sua sponte migrarunt, partim locorum opportunitate, partim regum humanitate allecti, non mirum, quod PHILO decies centena millia *Judæorum* in *Africa* regionibus habitasse, loco supra citato, adfirmet. Idem valet de maximo *Judæorum* numero, quo utraque *Syria*, *Phœnicia* & *Natolia* abundarunt. Alios enim injuria belli in istas regiones abripuit, alios spes lucri ex mercatura faciendi illuc allexit. Quid? Quod non defuerint inter reges *Syriæ*, qui propositis magnis præmiis *Judæos* in terras sibi subjectas invitaverint, quod nominatim de SELEUCO NICATORE adfirmat JOSEPHUS Lib. X. C. III. *Antiqu. Jud.* Nec aliter se res habet, si *Judæos Romanos* spectes. Qui enim primum, jure belli, Romam delati erant *Judæi*, ii sub hasta venditi fuerant in *mancipia*. Ex quo vero heris suam probaverant industriam, libertate donati sunt, locumque habitandi proprium trans *Tiberim* obtinuerunt, teste PHILONE l. c. p. 1014. Nec dubium, quin & huc alii quoque *Judæi* sponte migraverint, præsertim ex quo JULIUS CÆSAR, AUGUSTUS & TIBERIUS iis insigniores concesserant immunitates. Vide FROMMANNI Opusc. l. c. p. 480. Sed hæc hæcenus.

§. VI.

Nunc propius ad scopum nos convertentes, depromere satagemus *documenta admirandæ Dei providentiæ, quæ in hac Judæorum dispersione latuerunt, quæque*

que *successu temporis paulatim patere cœperunt*. Quemadmodum antiqua Religio Judaica, quam MOSES instituerat, nihil aliud, quam certa quædam *propædia Christianismi* erat, utpote in qua *doctrina de uno Deo* ejusque attributis *diserte*, doctrina vero de uno *Mediatore inter Deum & homines obscure* magis proponebatur, ita per *dispersionem Judæorum* hoc obtinere voluit Deus sapientissimus, ut omnes gentes de eadem participarent, quo facilior illis deinceps ad Religionem *Christianam* esset transitus. Quod ad prius adinet caput Religionis Judaicæ, quod in cultu unius Dei posuimus, notum est, quod ipsi Judæi, qui ante exilium Babylonicum tam propensi erant ad idololatriam, ut potius furere, quam desipere viderentur, adeo sani & sobrii in pristinum redirent territorium, ut post reditum vix pauca quædam vestigia tantopere olim adamatæ idololatriæ in tota gente apparuerint. Certe si tempora regum Judæorum cum temporibus Assamonæorum contuleris, alium plane populum invenies. Animo humano intime infixus est stimulus aliis suas communicandi & persuadendi opiniones, sive rectæ, sive pravæ fuerint. Hoc Judæos non caruisse vel ex reprehensione constet SALVATORIS, qua eos castigat, quod *mare & terram circumagebant, ἐνα ποιῆσαι προσήλυτον, ut unum facerent Profelytum* Matth. XXIII: 15. Fieri igitur non poterat, quin ubicunque versarentur Judæi, id sedulo agerent, ut quotquot possent ad communionem suæ religionis perducerent. Cumque huic instituto obstaret vilissima condi-

conditio mancipiorum, qua ubique terrarum, uti supra observavimus, premebantur, provido Dei consilio tribuendum, quod in omnibus fere regionibus, in quas deportati fuerant, jure civitatis citius serius donarentur. Quid? Quod liberum & publicum religionis exercitium Judæis passim locorum concessum fuisse, idonei tradant auctores, quorum testimonia hic magna copia adduceremus, nisi studium brevitatis prohiberet. Interea de hac re evolvi poterunt libri citati JOSEPHI & PHILONIS, ubi hoc passim inculcatum invenies.

§. V.

Eo autem facilius gentibus primum admirationem, deinceps susceptionem suæ religionis persuadere poterant Judæi; in alienas, transplantati terras, quo honoratius haberentur, quo saniolem profiterentur religionem, quo frequentiora celebrarent conventicula religiosa, quoque plus splendoris præ se ferrent tum ædificia, in quo docebatur religio, tum ipsæ ceremoniæ religiosæ. Quam benigne in Ægypto habiti fuerint Judæi, vel exinde constat, quod *Onias* a *Philometore* & *Cleopatra* facultatem impetravit in præfectura Hieropolitana exstruendi templum, quod similitudinem Hierosolymitani referret, de qua re legi poterit *VITRINGÆ* Commentarius in *Esajam* Tom. I. p. 582. & Dissertatio *JOH. PHIL. CASSELLII* de hoc templo, *Bremæ* anno *MDCCLXXX* habita. Omnium Judæorum hostium nemo eos pejus habuit, quam *Antiochus Epiphanes*, qui ex iis variis modis vexatis &

cru-

cruciatis misera fecit mancipia, templo Hierosolymitano pretiosissimis ornamentis spoliato. Sed hanc miseriam diuturnam esse non passa est providentia Dei optimi, qui apud successores hujus tyranni tantam eis gratiam conciliavit, ut Antiochiæ non tantum eodem, ac Græci, jure civitatis uterentur, sed & Synagogam acciperent illis ipsis exornatam spoliis, quibus is templum Hierosolymitanum privaverat. Hinc factum est, ut in hac potissimum urbe magnus gentilium numerus Sacra Judæorum amplecteretur, teste PHILONE, *Legatione ad Cajum* p. 1022. & JOSEPHO *Bell. Jud.* Lib. VII. C. III. Idem aliis in locis accidisse, passim docet LUCAS in Actis Apostolorum. Cumque etiam Profelyti subinde templum Hierosolymitanum frequentare soliti essent Act. II: 5. seqq. fieri non poterat, quin redeuntes varia narrarent, quæ cognatis, amicis, aliisque civium partim cognitionem, partim venerationem diviniore religionis inspirarent.

§. VI.

Quis vero non sentit, hæc omnia, provido Dei consilio, eo valuisse, ut gentilium animi paullatim ad recipiendam religionem Christianam præpararentur? Hoc certe ipse docuit eventus. Quot Profelyti Hierosolymis adfuerunt, cum Spiritus Sanctus in Apostolos effunderetur, tot hi ad gentes habebant præcursores, qui suis quique popularibus stupendum narrarent miraculum, eoque ipso efficerent, ut cum Apostoli deinde sequerentur, dociles invenirent audito-

res. Cumque Judæi ubique locorum, in universo Imperio Romano, ubicunque major eorum numerus habitabat, publicas haberent Synagogas, quas non solis Judæis, sed singulis etiam Profelytis frequentare integrum erat, factum inde est, ut quo venirent Apostoli, doctrinam Evangelicam annunciaturi, præparata invenirent auditoria, præparatos auditores. Hæc auditoria eo eis liberius patebant, quod gente erant Judæi, nec aliam profitebantur doctrinam, quem quæ in *Scriptis Mosis & Prophetarum jam ante proposita erat*. Nec sine Numine factum sentio, quod cuique in Synagogis libera erat docendi facultas, modo ea polleteret, & doctoris præ se ferret auctoritatem. Hac igitur facultate sæpissime usi leguntur Christi Legati. Quid? Quod interdum ab ipsis Synagogarum præfectis ad docendum invitarentur, teste LUCA Act. XIII: 15. Hæc libertas plura illis commoda pariebat. Primum quidem una plures habebant auditores, deinde, cum eos loco Sacro congregatos offenderent, iis utebantur adtentioribus. Præterea hoc impediēbat, quominus ab hominibus imperitis & malevolis pro circulatoribus haberentur, quod Paulo Athenis accidisse, ex Act. XVII: 16. seqq. constat.

§. VII.

Nihil vero digitum divinum manifestius prodit, quam quod Romani, qui, propter metum rerum novarum, severe caverant, ne qua in universo eorum imperio sodalitia haberentur, Judæis tamen ubique loco-



locorum Synagogas & Proseuchas habere publicis mandatis permiserant. Hoc privilegium ἰσθ' αἰῶνς παλαιῶν, *Judæis solis concessum fuisse, auctor est PAVLO L. c. p. 1035. ubi simul docet, AUGUSTUM in Litteris ad Prætores Asiæ ideo Judæis hanc libertatem concessisse, quod eorum Synagogæ non essent Bacchanalia, vel hominum seditiosorum conventicula, sed scholæ justitiæ & temperantiæ.* Quis igitur non videt, in hoc privilegio eo illustrius latere documentum admirandæ Dei Providentiæ, quo proclivius ingenium Judaicum ad turbas seditionesque movendas omni ævo fuisse constat. Dicitur autem vix potest, quam idonea Christianismi propagandi hinc nasceretur occasio. Nam cum primi Evangelii præcones, uti jam audivimus, in publicis Judæorum Scholis docerent, suaque dogmata ex Scriptis Mosaicis & Prophetiis demonstrarent, factum inde est, ut Christiani pro uno eodemque populo, ac Judæi, vel saltem pro certa quadam secta Judæorum haberentur, ob eamque causam iisdem, ac Judæi uterentur immunitatibus, donec in tantum excrevissent numerum, ut nihil contra eos efficerent quæ successu temporis paullatim oriebantur procellæ persecutionum, quas Historia Ecclesiastica sequentium temporum commemorat. Atque ita patere existimamus, quod initio diximus, in dispersione Judæorum tanquam in tersissimo speculo & plurima & maxima admirandæ Dei providentiæ argumenta relucere. Deo igitur Optimo Maximo sit gloria in secula seculorum, Amen!



locorum Synagoga & Praefatos habere possit
 adhibere permissum hoc privilegium in his
 locis ubi non sunt Synagogae vel in locis
 ubi non sunt Synagogae in futurum esse
 totum esse hunc Privilegium concessit. Quod
 non Synagoga non esset Praefatos vel non
 adhibere permissum. Sed hunc Privilegium
 in his locis non videtur in hoc privilegio esse
 finis hanc doctrinam admittentes Dei Providentia
 duo privilegia in gentem Iudaeam adhibere volentes
 que adhibenda erant ut in his locis esset. Nam utrumque
 privilegium per hunc Privilegium propagandum esse
 tenetur esse. Nam utrumque Privilegium per hunc
 Privilegium adhibere in publicis Synagoga Scholis docere
 tunc sequitur adhibere in publicis Scholis & Praefatos
 eis de monstrant. Sed in his locis in Christianis pro
 no eodemque populo adhibere vel in his locis
 quibusdam locis adhibere permissum. Sed in his locis
 tenetur esse adhibere in Synagoga. donec in
 tantum exerceat ut in his locis. ut nihil esset per
 certum per hunc Privilegium concessit per hunc
 Privilegium concessit. Quod hunc Privilegium
 omnia tempora concessit. Adhibere per hunc
 Privilegium concessit in his locis adhibere
 tantum in his locis per hunc Privilegium concessit. Deo
 in his locis adhibere per hunc Privilegium concessit.

colorum. Amen

1777